

PROLOGUS IN QUATTUOR SERMONES IN FESTIVITATIBUS BEATAE MARIAE VIRGINIS



Quasi stella matutina in medio nebulae, et quasi luna plena in diebus suis lucet. Et quasi sol refulgens. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae, et quasi thus redolens in diebus aestatis; quasi ignis effulgens et thus ardens in igne, quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso, quasi oliva pullulans, et cypressus se in altitudinem extollens (Eccli 50, 6-11). Ecce duodecim lapides pretiosi in diademate capitis Aaron (Cf. Ex 26, 17-21.36-38). Ecce duodecim stellae in corona gloriosae Virginis, ad cuius laudem, secundum ipsius quattuor festivitates, scilicet Nativitatem, Annuntiationem, Purificationem et Assumptionem, istam auctoritatem Ecclesiastici in quattuor sermonibus volumus dividere et unicuique festivitati breviter, prout ipsa dederit Domina, concordare.

Sermo in ipsius Nativitate: *Quasi stella matutina in medio nebulae, et quasi luna plena in diebus suis.* In Annuntiatione: *Quasi sol refulgens, et quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae.* In Nativitate Domini: *Quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae.* In Purificatione: *Quasi thus redolens in diebus aestatis; quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne.* In Assumptione: *Quasi vas auri solidum etc.*

IN NATIVITATE BEATAE MARIAE VIRGINIS

S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELICI

Themata sermonis

Quasi stella matutina.

**In eodem sermo moralis de poenitentia, ibi:
*Egredietur.***

Exordium

1. Dicamus ergo: Gloriosa Virgo Maria fuit *quasi stella matutina* etc.

Dicit Ecclesiasticus: *Species caeli, gloria stellarum, mundum illuminans.* In his tribus verbis tria notantur quae in beatae Virginis Nativitate mirabiliter splenduerunt: angelorum scilicet exultatio, cum dicitur: *Species caeli.* Legitur quod quidam vir sanctus, dum devotae orationi insisteret, audivit in caelo angelici cantus dulcem melodiam. Quod cum iterum, revoluto anno, eodem die audiret, quaesivit a Domino, ut ei quid hoc esset revelaret. Responsum est quod tali die beata Maria nata fuisset, de cuius Nativitate angeli in caelo laudes Domino persolvebant; et ideo ista die Nativitas gloriosae Virginis celebratur. Item, suae Nativitatis puritas, cum dicitur: *Gloria stellarum.* Sicut *stella a stella differt in claritate (1 Cor 15, 41)*, sic beatae Virginis Nativitas ab omnium sanctorum differt nativitate. Item, totius mundi illuminatio, cum dicitur: *Mundum illuminans.* Nativitas gloriosae Virginis mundum, opertum caligine et umbra mortis, illuminavit. Et ideo bene dicit Ecclesiasticus: *Quasi stella matutina in medio nebulae* etc.

De beata Maria Salvatoris nuncia et ex omni parte perfecta

2. Stella matutina dicitur Lucifer, eo quod inter omnia sidera clarius luceat, quae proprie iubar dicitur. Lucifer, solem praecedens et mane nuntians, tenebras noctis lumine sui fulgoris aspergit. Stella matutina sive Lucifer est beata Maria, quae, in medio nebulae nata, nebulam tenebrosam effugavit, mane gratiae solem iustitiae sedentibus in tenebris nuntiavit. Unde de ea dicit Dominus ad Iob: *Numquid producis Luciferum in tempore suo? (Iob 1.c)*. Cum venit tempus miserendi tempus domum Domini aedificandi (Ag 1, 2), tempus acceptabile et dies salutis (2 Cor 6, 2), tunc Dominus produxit Luciferum, idest beatam Mariam, in lucem populorum. Qui ad ipsam debent dicere quod Iudith populi dixerunt, ut in eiusdem dicitur libro: *Benedixit te Dominus in virtute sua, qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso, prae omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus qui creavit caelum et terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum; quia nomen tuum ita hodie magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum (Iudith 13,22.23-25)*. Fuit ergo beata Maria quasi stella matutina in sua Nativitate. De qua dicit Isaias: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet (Is 11, 1)*.

Nota quod beata Maria dicitur virga propter quinque proprietates quas habet: est enim longa, recta, solida, gracilis et flexibilis. Sic beata Maria longa fuit contemplatione, recta iustitiae perfectione, solida mentis stabilitate, gracilis paupertate, flexibilis humilitate. Haec virga, egressa de radice Iesse, qui fuit pater David (Cf. Mt, 1, 5), a quo Maria *de qua natus est Iesus, qui dicitur Christus*. Unde in hodierno Evangelio: *Liber generationis Iesu Christi, filii David etc. (Mt 1, 1)*.

3. *Egredietur virga de radice* etc. Quid ista tria, radix, virga, flos, moraliter significant videamus. In radice, humilitas cordis; in virga, rectitudo confessionis et disciplina satisfactionis; in flore, spes aeternae beatitudinis. Iesse interpretatur insula vel sacrificium, et significat poenitentem, cuius mens debet esse quasi insula. Insula dicta, quod in salo, idest mari, sit sita. In mari, idest amaritudine, mens poenitentis est sita, quae fluctibus tentationum percutitur, et tamen immobilis consistit; qui sacrificium iustitiae Domino sacrificat in odorem suavitatis. Radix huius Iesse est humilitas contritionis, ex qua surgit virga rectae confessionis et disciplina discretae afflictionis. Et nota quod non ex summitate virgae sed ex radice ascendit flos. *Flos, inquit, de radice eius ascendet*, quia non ex afflictione corporis sed ex humilitate mentis ascendit flos, idest spes aeternae beatitudinis.

Super hoc habes concordantiam in hodierno evangelio, in quo Matthaeus, generationem Christi describens, primo ponit Abraham, secundo David, tertio transmigrationem Babylonis. In Abraham, qui dixit: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (*Gen 18, 27*), cordis humilitas; in [Sanctum Regem et Prophetam] David, cuius cor rectum fuit cum Domino: *Inveni, inquit, David virum secundum cor meum* (*Act 13, 22*), rectitudo confessionis; in transmigratione Babylonis, disciplina afflictionis et tolerantia tribulationis designatur. Si haec triplex generatio in te praecesserit, quartam consequeris generationem, scilicet Iesu Christi, qui natus est de Virgine Maria, de cuius hodierna Nativitate dicitur: *Quasi stella matutina in medio nebulae.*

4. Sequitur: *Et quasi luna plena in diebus suis lucet.* Beata Maria dicitur plena luna, quia ex omni parte perfecta. Luna ideo imperfecta et semiplena, quia habet maculam et cornua. Sed gloriosa Virgo nec in sua

Nativitate habuit maculam, quia in utero matris fuit sanctificata, [idest concepta Immaculata sine peccato originali], ab angelis custodita; nec in diebus suis [habuit] cornua superbiae, et ideo plena et perfecta lucet. Lux dicta, quod diluat tenebras. Rogamus ergo te, Domina nostra, ut tu, quae es stella matutina, nebulam daemoniacaе suggestionis, mentis nostrae terram tegentem, tuo splendore expellas; tu, quae es plena luna, vacuitatem nostram adimpleas, peccatorum nostrorum tenebras diluas, quatenus ad vitae aeternae plenitudinem, ad gloriae indeficientis lucem pervenire mereamur. Ipso praestante, qui te in lucem nostram produxit, qui, ut ex te nasceretur, te hodie nasci fecit. Cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.